



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1400. usque ad annum 1415 - Unacum Dissertatione
Præliminari Ad Historiam Sæculi XV.

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1767

VD18 90118286

§. 66. Electio Angeli Corarii sub nomine Gregorii XII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66281](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66281)

Patrum Senatu a se cogendo omnia al-
 tefata conventa solemni ritu confirma-
 turum, erecto desuper instrumento manu
 propria signando.

Sæcul. XV.
 A.C. 1406.

§. LXVI.

*Electio Angeli Corarii sub nomine
 Gregorii XII.*

Omnes Cardinales publicis hisce tabu-
 lis subscripserunt, & ad hanc formu-
 lam observandam juramento sese obstrin-
 xerunt. Ergo trigesima Novembris die
 in festivitate S. Martini uno animo, o-
 mniumque suffragiis Pontificem saluta-
 runt Angelum Corarium Nobilem Ve-
 netum, Patriarcham Constantinopolita-
 num, Presbyterum Cardinalem tituli S.
 Marci, septuagenario majorem, nonnulli
 eundem omnino octogesimum ætatis
 annum attigisse referunt; Gregorius XII
 nuncupari voluit. Hunc ipsum lauda-
 tam juramenti formulam summo procu-
 rasse studio historica testantur monumen-
 ta. Igitur in Conclavi statim peracta
 sui electione eadem pacta, atque jura-
 menta rata habuit, & præsentibus iis-
 dem Cardinalibus, omnibusque Præla-
 tis verba fecit, in quibus desiderium, quo
 Ecclesiam sub uno solo capite aduna-
 tam conspicerere ardentissime flagraret,

*Niem. lib. 3.
 cap. 12.*

*Arct. Ital.
 pag. 256.*

Sæcul XV. tanta vi expressit, ut sua opera tandem
A.C. 1406 schisma radicitus extirpatum iri, nemini
 ultra ambigendi locus superesse videre-
 tur. “ Ad quemcunque demum locum,
 „ inquebat, ubi unionem fieri oportet,
 „ ret, nulla mora me transferam, unice
 „ ut promissa mea adimpleturus ingens
 „ hoc negotium absolvam, & si forte il-
 „ luc per mare transire debeam, navigiis
 „ autem carerem, etiam parvæ cym-
 „ bæ me committam; si vero terre-
 „ stri itineri cetera quæque deessent, pe-
 „ dibus & baculo meo sustentatus ad
 „ perficiendam Ecclesiæ pacem pergam.,
 Verum eventus hisce speciosis promissis
 neutiquam conveniebat.

§. LXVII.

*Ingenium & mores Gregorii XII
 Papæ.*

Aubery hist. Gregorium Historici præclaris cele-
Card. tom. brant elogiis. Omnes Ecclesiæ di-
Il. pag. 2. gnitatum gradus non sine ingenti laude
 pertransiit. Cum adhuc Venetorum E-
 piscopus esset, a Bonifacio IX tanquam
 extraordinarius Legatus ad regnum Nea-
 polis mittebatur, ut hujus regni Me-
 tropolim suo hortatu Ladislai imperio
 adjiceret; quo negotio sibi demandato
 feliciter perfunctum idem Papa creavit
 Marchiæ